

CARMINA SELECTA

ATTILAE JÓZSEF

versionem Latinam

Ladislao Szörényi

amico et magistro

sapientissimo et disertissimo

septuagenario

dat dedicat libens laetus merito

Benedictus Fehér

Budapestini

2014

Corde mundo

Patre, matre careo
Et patria atque deo
Et amica atque osculo
Et cuna atque capulo.

Tres dies non edebam
Parvam nec plurem cenam.
Viginti annos habeo:
Vis est id, id pignero.

Si eo nemini est opus,
Tunc emet diabolus.
Corde mundo rapiam,
Si opus, hominem necam.

Apprendar et suspendar,
Terra cara consternar,
Cor feret mortifera
Pulcherrimum gramina.

Attila József

Bonus, laetus, tumax fuit,
si quid iustum putans est laesus.
Dilexit cenam. Forte factus
nonnullis rebus par deo,
donatus palla a medico
Hebraeo; quem sic monuit
“I-nec-redi” quisque cognatus;
sacerdotem, haud quietem nactus
fide orthodoxa – apparuit
in excidio non privatus,

ne estote tristes iam animo.

Tange frontem

Tange frontem
manu tua,
sicut esset
manus mea.

Sic me serva,
ut qui occidat,
vita ut tua
mea fiat.

Ama, tamquam
optimum esset,
tuum tamquam
cor meum esset.

Me Áron József genuit

Qui coxit sapones,
Me Áron József genuit –
Nunc olentis flores
Per Oceanum metit.

Me peperit Borcsa
Pócze – iam est centipeda
Peniculo morsa
(Cancro) ventrem et viscera.

Luciam qui amavi,
Non me amavit Lucia.
Instrumento umbra est mi,
Nulla est amicitia.

Damnum omne est conversum
Factumque animus meus.
Vivamque in aeternum
Vacuus et inscius.

Catella

Catella colli tui –
ranae elatae lacui,
stercus agni,
stercus per nivem agnuli.

Lunae in corona rosa,
lateris zona aurea –
est laqueus,
restis cervice in mea.

Pedum in veste motio –
campanae oscillatio,
flexus visus
pōpulorum in fluvio.

Pedum in veste motio
campanarum est pro sono,
pro cadente
fronde muta in fluvio.

Magi in Bethlehem

Ave noster Iesule, Iesule!
Venimus stella duce.
Tres magos nos antecessit,
pedes it quem tempus pressit,
agnus ait certo cepisse
hic te sedem, Iesu Christe.
Melchior rex sum – Deus,
me iuva propitius!

Salve Dei tu proles, tu proles!
Non sumus sacerdotes
taetri. Fama te fert natum,
pauperum regem creatum.
Velimus te visitare,
regnum caeli salutare!
Caspar vocor – terreni
tantum potitus regni.

Ave noster Salvator, Salvator!
Regni solis viator
venit defectis botulis,
detritis claris calceis;
auro pugni nostri pleni,
complet concava tus aeni.
Balthasar en ego sum,
qui sum rex Aethiopum.

Erubescit Maria, Maria,
mater beatissima.
Vix per imbrem lacrimarum
suum cernit Iesum carum.
Surgit pastorum concentus,
adest mammae dandae tempus.
Cari reges, vespero
vos valere iubeo!

Cohortatio

Seres iudicem iugulant.
Et nunc cocae suci necant.
Stramen susurrit, dormita.
Et nunc cocae suci necant.

Pauper tabernae per vitrum
Cistam videt modo assium.
Stramen susurrit, dormita.
Cistam videt modo assium.

Obsona panem, isicium.
Vitam tuam conserva admodum.
Stramen susurrit, dormita.
Vitam tuam conserva admodum.

Coquet quae et osculabitur,
et uxor quondam dabitur.
Stramen susurrit, dormita.
Et uxor quondam dabitur.

Dolor

Ut cervi, fugi; dolor
Inest lenis oculis.
Mordentibus lignum agor
In corde meo lupis.

Cornua amisi, movet
Ventus fracta in frondibus.
Fui – cuius paenitet –
Cervus, ero iam lupus.

Venustus ero lupus.
Fascinatus me verto,
Sociis spumantibus
Lupis subrisum tempto.

Auscultoque mugitum
Cervae datus sopori,
Cadunt in meum umerum
Atra folia mori.

Saltus ursi

Saltans superbe in catenis
cincinnis plantisque plenis
quo titubas tam bene?
Puellam bellam aspice!
Brumma, brumma, brummaza.

Claris induor vestibus,
quas sui viginti unguibus
ex mustela et sciuris,
mele, canibus, lupis.
Brumma, brumma, brummaza.

Margaritas annum legi,
dentes meas sic inveni.
Lateri invisum est meo
nono nato puero.
Brumma, brumma, brummaza.

Quare salto tardo pede?
Pictor me ut possit pingere.
Anūs caput illiūs
Bene erit penicillus.
Brumma, brumma, brummaza.

Thesauro olla cui repleta,
palmipedi palmā plenā,
aut si non palma, ungue dat,
unguem habenti non negat.
Brumma, brumma, brummaza.

Pulcher aeris flos rotundus
in lucem germinabundus.
Nuper manus vilici
cuiusdam haesere sinui.
 Brumma, brumma, brummaza.

Gratis bestiarum cursus
gaudii est; sed nil dat ursus!
Si eum vexent frigora,
pedes velet tabula.
 Brumma, brumma, brummaza.

Puellulus flet

Singultat atriorum in angulo
conquiniscens iners puellulus.
Flet, ut harena flet sub calceo.
Se iactat, ut gravis Oceanus.

Madent genae, ut ad aquilonem fauces.
Madent, velut ocellorum cavum.
Madent, velut flet terra subter cautes.
Madent, velut fenestrae flet vitrum.

Flet, sicut calx, aqua dum extinguitur.
Flet, sicut in olla contacta aqua.
Flet, sicut lignum, dum igne roditur.
Flet, fabricae ut portatrix fascia.

Velut cui planta, homo atque bestia
omnem inflarunt teporem vividum
gelide sparso per saxa acria –
flet, ut ventus Quadūm super iugum.

Quiritat, porca ut quae sacrabitur.
Quiritat, ut sub falcibus ador.
Quiritat, ut mucro dum acuitur.
In furno talis est carnis fremor.

...Tacite ut vestes ordine exiit
domum regressus tabularius,
extremo in lecto somnit, fremit, it
– parvi celeriter crepant gradus –

tolutim in plano, manducans nives
virenti sub luna, acri vesperi,
sal caeli lambens, latrans, fodiens –
ululat, sicut deserti loci.

Vagit, decorticanda ut frux zae.
Vagit, ut pressus aevo fatuus.
Vagit, sub dormienti ut stipulae.
Vagit, flagrum ut mordens caniculus.

Singultat atriorum in angulo
conquiniscens iners puellulus,
nunc sicut motores leves, cito,
nunc segnis, ut gravis Oceanus.

Sine spe

(Tarde, meditando)

Ad planum triste acceditur
Harenae denique atque aquae,
Circumspectoque adnuitur
Considerate, sine spe.

Leviter, non fraudans ita
Conor circumspectare ego.
Securis ictu folia
Tremunt populi argenteo.

Nihili in ramo cor meum
Sedet pavetque tacite,
Circumdant stellae parvolum
Et spectant, spectant placide.

Carmen

I

Sedeo coruscis in rupibus.
Aura levis
novae aestatis flat prandio
tepidi lepido similis.

Cor consuefacio silentio.
Est facile –
Quae evanuerunt, glomerantur huc,
manus demissae sunt, caput
est pensile.

Iubar video montis –
lumine frontis
tuae coruscant folia.
Non per viam, non itur;
flectitari videtur
vento tunica.
Pronasque nuere frondibus
comas video sub fragilibus,
mammam tuam mites tremescere,
et ut defluit Szinva rivulus,
en rursus in teretibus
calculis albis intuo
evanidos risus emergere.

II

O quantum amo te, quae profundum
cor resonandum atque in eo

insidiantem solitudinem
astutam curasti cavo
omnemque mundum.
Sicut cataractes suum clangorem,
relinquis me silentioque abis,
egoque vitae inter culmina vocem
iuxta longinquum tollo et eiulo,
singulto, in terra et caelis resono
amari te, noverca, quae paris!

III

Amari, ut matrem a pueris,
ut altitudines altis cavis,
amari, ut lumen atriis,
spiritu flammam, requiemque carne;
ut mortalis vita hominis
ametur, dum Orci capiantur parte.

Verbaque omnia, risus, nutus tui
tenentur, ut solo cadentia.
Ut aera corrodit vis acidi,
rosere in mentem te sensus mei,
venustae forma rei,
replet essentiam omnem vis tua.

Et crepitantes momenta vadunt, cedunt;
tu in auribus sedes muta.
Stellae arserunt et ceciderunt;
tu in oculis restas una.
Sapor tuus – antri silentium –
frigidus replet os meum,
apparitat manus tua,

venarum bella retia
per poculum.

IV

O qualis ergo sum materia,
quem findat fingatque oculus tuus?
Lumenque quale, qualis anima,
qualia monstra mirabilia,
qui carnis fecundae declivia
visem nihili in nube pervagus?

Et in intellectu verbum ut patet!
In arcana eius me iter deferet!...

Sicut rosae, sanguinis ita cursus
perpetuo tremit.
Portatur sempiternus fluxus,
ut vultu amor tuo ardere velit,
benedictusque fructus tui sit
ventris, texae sensibiles
per cuius humum radices
hic intus nexae graciles
nodos plectant, gemmas evolvant,
ut cellularum agmen suci pares,
ut pulmonis frondentis frutices
laudem suam susurri vortant!

Beate it aeterna materia
in te per canalina viscerum,
vitam frugalem promit scoria
in fonte ardenti renum strenuūm!

Colles clivosi in te resurgunt,
tremorem in te sidera fundunt,
lacus moventur, machinae aguntur,
viva milia congeruntur,
musca,
labrusca,
crudelitas et simul bonitas,
sol atque obscura lux nitet Borealis –
tuae vagatur per interna carnis
inconscia sibi ‘ Aeternitas.

V

Ut sanguis cum coiit
ted ante cadunt
haec verba mea.
Vita balbutit,
leges modo verba clara sunt.
Sed in diem quae me reperiunt,
impigra viscera iam incipiunt
silentia sua.

Interdum clamitant –
per milies milies bis mille
hominum te respexit ille,
tu sola, tenera
cuna et sepulcrum, cubilia
viva, accipe illum!...

(Quam arduom est Eoum caelum!
Legio in eius aere micat.
Oculos laedit lumen magnum,
sentio de me actum esse iam.

Desuper, ecce, cor ipsius
meum crepitat.)

VI (*Cantiuncula adiecta*)

Feror tramine, quaerito te,
forte hodie iam invenio te,
forte oris flamma residebit,
forte vox repressa haud tacebit:

“Calida garrit, fac laveris,
ecce mantele, fac sicceris,
caro assatur, famem restinguet,
lectum, ubi cubo, tibi pandet.”

Nenia sera

Triginta sex graduum feбри semper
mi ardenti non faves,
mater! primo nutu morti volenter
accubuisti, ut prosedae leves.
Te coniectare ex feminis venustis,
autumni conor leni rure maesto,
scioque nil morae mi, sicut ustis
flammā spissā, esse praesto.

Szabadszállás postremo ivi usque pagum
fine militiae,
totum per mixtum Aquincum et complicatum
stabant tabernae pane vacuae.
In sacco milium reportavi et solanum,
trans summum tramen corpus stravi pronum,
tibi indagavi pullum – me obstinatum!
Tu nusquam eras locorum.

Mihi abstulisti, vermibus dedisti
mammās suaves tuas.
Solata es filium et castigavisti
verbis cunctis fingens mendacias.
Flatu ius temperavisti, miscuisti
dicens: “Vora, mihi ut, care, augeare!”
Tua opust labra – qui me decepisti! –
nunc pinguem humum gustare.

O devorassem te!... Mi tua cena
lata est – an volui?
Cur dorsum curvastis super aena?
Ut ima in arca posset erigi?
Iuvaret me, si rursus verberares!
Nunc gauderem reversis, ecce, verbis:
O vana, non esse incassum putans res,
o umbra, cuncta perdis!

Fraudatrix maior, quam quodcumque scortum
fallens frustransque spem!
Clam dereliquisti tuorum amorum
lamentis partam vividam fidem.
Fide tu Punica! omnia adulando
donata horā es refurata imminente.
Audin gaudere filium exsecrando?
Me, mamma, reprehende!

Gradatim lux adfulget clara menti,
mythus evanuit.
Amori matris filio adhaerenti
quam stultus sit, postremo apparuit.
Omnes decepti erunt a matre parti
sic seu qui ipsi fraudem periclitentur.
Rebelles bello, reconciliati
ex pace morientur.

Vae, paene...

Vae, paene me, vae, dirumpit amor.
Vae, paene me, vae, deprimit timor.
Quacum vestrum, mulieres,
 amplexu morior?

Aestu cito, tardo hieme vehor –
autumni in alea quem tueor?
Ex speculanti tempore
 volans quacum auferor?

In caelo cancelli astrorum est nitor:
quanto nunc antro mente teneor?
Quacum vestrum a me tollitur
 mundi rupti fragor?

Ostende has res

Proli tuae has ostende res:
et latrones esse homines,
strigam – propolam et corbulam,
canem latrantem esse haud lupam.
Seu merces, seu sophisma agatur,
spem cuncti mutant assibus,
hic carbone, hic negotiatur
amore, ille autem versibus.

Solare, si solacium
sit verum hoc esse, filium;
vel murmura fabellam ei
communismi fascistici –
cum disciplina in mundo opus sit,
praesertim eius causa rei,
ne quod bonum est, effici possit,
ne sint nequiquam liberi.

Si forte filius hiet,
te suspiciet, vagiet,
noli eludi, censere noli
tradi ideis eum torpori;
vide, quis sit versutus infans,
flet, eius ut misereat,
sed tamen in mammas cachinnans
dentes sibi atque ungues parat.

Ad Kosztolányium

Nos segni nunc incepimus dolorem,
at tu iam subscripsisti opus tuum.

Ut linea, iaces per horizontem,
amata cena tantum vermium,

ut nobis pullus, vinum... Ignote, amice!
Frater fuisti, es iam loco patris.

Non pensas adamanta verborum inde:
terra oppresso nil plus est ponderis.

Unde scio? Sum aviditate fractus,
sicut mors te fecit deciduum.

Sperasti; egoque. Incassum: noveramus,
ut novit, suscitatur qui mortuum.

Patior

Intus, foris
latentem mortem dum fugis
(ut mus nido suo pavescens),

ut te manu,
gremio condat et genu,
sic feminam petis calescens.

Non es modo
ferventi illectus gremio,
at te necessitasque pellet,

amplectitur,
quod feminam nanciscitur,
omne, usque dum labrum illi pallet.

Amare opus!
Moles binae opesque haud secus.
Qui amans non comparem parare

potest, ita
est exul, ut sit bestia
iners, cum debeat cacare.

Refugio
datur nil, etsi pugio
in matrem stringatur, tu fortis!

O femina,
quae verba comprehendis mea,
a tete me tamen revortis!

Mi non datur
locus per vivos. Tunditur
caput cura ornata dolorum,

ut crotalum
quassum crepat infantium
manibus solitariorum.

Quid debeo
facere contra id atque pro?
Non paenitet me reperire,

quippe omnibus
sopitis sole, horrentibus
somnos necesse ex mundo abire.

Humanitas
lapsa, ut vestis si quis suas
exuit amans beatus, est mi –

est fatum ubi
esse me solum opus pati,
cernique ab illa in morte verti?

Femina si
parit, infantem opust pati.
Amborum humile onus levatur.

Quaestum meum
sed profert maestum canticum,
et dedecus me comitatur.

Auxilium
ferre! Lumen vestrum, gradum
quo ponit, pueri, rumpitor!

Innoxii,
sub caligis terimini,
singultate illi: "Patior".

Fidi canes,
rotae volvunt volubiles
vos, latrate illi: "Patior".

Praegnantibus
abortus fiat filius,
lamentate illi: "Patior".

Vos integri,
labimini, rumpimini,
balbutite illi: "Patior".

Viri plagas
dantes inter se ob feminas
ne siluerint: "Patior".

Boves, equi,
quos castrant, ut iugum geri
possit, hinnite: "Patior."

Harundine
sub glacie hians capere
muto ore, piscis: "Patior."

Viventia,
tremunt dolore quae omnia,
silva, hortus vester uritor –

circumdate
lectum, dum dormit, cinere;
crepate mecum: “Patior”.

Usque audias.
Ad id vales, quod denegas.
Quae, voluntas ut fert tua,

intus, foris
vivo a perfuga peteris,
sed aufers asyla ultima.

Solitudo

Scandant apertos scarabaei ocellos,
Virescat mucor in mamma tua,
Sitūs, quo me misti, specta ipsa solos,
Tuas dentes tere et linguam vora.

Tuum os, ut sicca harena, diluatur
Gratum. Velis mulcere me admodum,
Cui puro inani gremium impleatur:
Obducant cardui impigram manum.

En haec tu es, haec cupido horribilis.
Homines si te circumdederint,
Non tremiscas videntibus eis
Mutis, quis me tam pravum fecerit.

Quem nunc pressas? Gaudebit te parente
Se circumvolvi posse filius,
Cui annictabis, ambos pleno ventre
Crocodilis circumcubantibus.

Supinus in lecto cubo atque immotus
Videns – tu qua spectes – lumen meum.
Morere! Tantum hoc cupio tam mutus,
Ut me putem fore ipse mortuum.

Clamitatio

Amate, eheu, me nimio,
servate ab immenso malo!
Saltanti in clatris simio
par in mea sum mente.
Huc illuc salto et frendito,
nihil credo, sed multum ego
poena horresco imminente.

Audin meos cantus, homo,
an ut silvae, sonas modo?
Me amplectere nec cernito
caecus cultro nitente –
immortali refugio
nulli possum queri, ut volo:
“Poena horresco imminente.”

Velut rates in fluvio,
ut Slavus in remigio,
gens labitur silentio
dolore humana ardente.
At lacrimo ipse et clamito:
“Ama, vel pessimus ero –
poena horresco imminente.”

Reddita ratio

Refugium ipsi a generatione
factus sum. Haud multi constat, si cui omne
dest. Nequaquam est mihi maioris id,
quam bestiae, quae in aeternum perit.
Etsi timens, loco meo steti,
natus sum, mixtus, me seposui.
Nummos pependi, quanti qui vendebat,
amavi, si quis gratis offerebat.
Si pollicens me lusit femina,
credidi gaudii eius gratia.
Extraxi situlam navemque lavi,
me inter callentes stultum simulavi.
Vendebam panem, cristam ludicram,
carmen, librum, diurna – ut poteram.
Me in lecto excessurum, haud pugna virili,
quondam spero, neque in laqueo miti.
Ut sit, rationem reddidi:
vixi – hoc defuncti sunt et alii.

In natalem meum

Triginta egi annos et duo,
Munus nunc a me ipso neco-
pinus
minus

carum, at pulchrum hoc accipio
carmen cauponae in angulo,
donum
bonum.

Tot annis raptis nec procul
ducentos vidi asses simul,
scito
id o

patria! Doctor paene, vae,
factus sum, haud punctor tabulae
vilis
(stilis).

Sed expulsus Szegedino
academiae a domino
miro
diro

non factus sum, nactus citum,
durum monitum ob canticum
“Patre,
matre...”

Tuens contra me patriam
ense, excitat meam animam
fatus
beatus:

“Dum verba scio, ubi patet
mundus, docere non licet
ibi
tibi.”

Gaude, Antoni Horger domine,
vatem non discere! Hoc male
creatum
beatum:

utetur totus populus
(non ut quadrivii est modus)
me docto-
re docto!

(Iamdudum...)

Iamdudum amphibion ego
me ut ranam intellexi esse; caeli
frementis fundo in turbido
latere, ex anxio animo
meo bullam, hanc carmen efflari.

Ero maligno pareo
Nulli, nec mi iubenti vermis.
Ut pisces et dei, habito
Altum aequor et sedis caelestis.

Aequor meum est in bracchio
Calenti, obscuro, molli amantis,
Caelum meum est in lumine
Comprensae mente humanitatis.

E fluctu surge

Deus mi, fac me horrescere.
Ira tua me valde egente
e fluctu fac te surgere,
ne Nihil me abluat, repente.

Ego, quem detrudit equus,
qui vix me pulvere elevo,
cultros dolorum cordibus
humanis non aequos gero.

Ignis capax incendium
feci solis par – hoc levato!
Clama vetari me, manum
tuo hanc fulmine verberato!

Docear ira aut gratia
tua: esse culpam non nocere!
In tanta esse innocentia
me inferna cogit flamma ardere.

Feroci vertor, si cubo,
morsellā spumanti mari.
Sum solus. Omnia audeo,
Sed nil ullius 'st pretii.

Spiritum, si non me incutis,
mortis causa ipse retinebo,
Tute Humani Oris, oculis
sic esse absentem Te videbo!

(Ille modo...)

Ille modo hos cantus legit,
qui me novit et diligit,
nam per nihilum navigat,
futurum, ut vates, dictitat,

cui in somnis silentium
appareat formā hominum,
moretur cui in anima
tigris lenisque caprea.

Longescunt umbrae

Umbra incipit producir,
stellarum lux accendier,
 alte flammae inflagrare.

Ordine inexorabili
in me egestas vagat tui
 ut sidus per inane.

Nox volvitur, velut mare,
plantarum angor lubidine
 odore cor stringente.
De profundis me tollito,
voluptatem excipe, oculo
 rete in meum imum merge.

Huic qui te amat...

Huic qui te amat, te subde aut daberis
post alteri uni ex multis.
Terra totius regni inscriberis:
ne uxor N. N. e plebe sis,
cave sis Caia cuivis.

Metiri te et pensare nolito.
Carne me caede, si vis;
vel surget ira, ut ebrius homo,
aspergit muros poculo,
amore sine vinis.

Veniam haud obtinere

Scis frustra te dolere,
Veniam haud obtinere.
Esto, quod esses: sis vir.
Scito herbam ex te florere.

Scis culpam non levari,
Frustra lacrimas labi.
Te denique age grates
Ut exemplum parari.

Ne accusato aut iurato,
Ne ipsi malum parato,
Ne subdaris, ne subdas,
Gregem numquam adiutato.

Inutilis maneto,
Scire arcanum caveto,
Homo gentem hanc humanam
Ludibrio ne habeto.

Memento gemuisse,
Frustra preces fudisse,
Tuae te iustae causae
Falsum testem fuisse.

Patrem vocasti lapsus,
Virum Deo privatus:
In psychoanalysisi es
Pueros pravos nactus.

Fisus levibus verbis,
Asse patronis emptis
Nunquam, nunquam a quibusdam
Bonum te dictum sentis.

Falsus omnium amori,
Fallens amare noli.
Sclopetum ergo repletum
Inani attende cordi,

Vel mitte ideas omnes,
Spera fidos amores,
Nam sectarere, si quae
Vellet, canum ut sunt mores.

(Quadrupes repsi...)

Quadrupes repsi. Me erectus Deus
Superne vidit, non ad se levando.
Sic libertate est doctus animus
Ipsi quondam vim quaerere erigendo.

Non adiuvens mihi adiutor fuit,
Erat flamma sine utili calore,
Adest mihi, quod me deseruit,
Varia est veritas diverso amore.

Corpus timor custodiat meum,
Infirmum enim est; sed compar mi ridenti
Occurret, dum mundus per vacuum
Titubat vanum, in se fidem tenenti.

Auctor atque aetas sua

Ecce carmen. Recito nunc
versum secundum. Acria
A in eius titulo sunt:
“Auctor atque aetas sua.”
Volitat nil, esset quasi
pulvis alicuius rei,
hic ita...

Volitat nil, esset quasi
aliquid: aggreditur
mundus hic ad futura, qui
usque amplius agitur
per inane, ut fremit pontus,
frons; nocte ut canum latratus
loquitur...

Ego in sella, sella in terra,
terra autem sub sole stat,
solis sphaera subter stella,
quae carcer est, pervagat.
Haec universa in nihilum,
contra ac in me consilium
provocat...

Matrem ad supremam, ad Nullam Rem
advolaturum alligo
spiritum corpori inanem,
saccum ut ventorum, meo.
Non somnium hoc neve verum,
sed sublimem, ut dicunt, sensum
meum ago.

Veni amice, veni, incassum
te mentiri aspicio.
Hoc tenes tu in mundo campum,
in te miseratio.
Hoc mitte, id mitte, et specta, dum
dissipatur lux una cum
vespero...

Ager demessus cruore
rubes, lividus coit
in declivi. Flet dolore
pusilla herba et decedit.
Maculae mortis per colles
beatos apparent molles.
Nox venit.

Crepusculum

Crepusculum acre, mundum hoc mi est idoneum,
structurae lignorum aetherem procul
venuste nudorum inanem tenent.

Res-personae discernuntur cunctae aliis,
immergunt se sibi atque forte intereunt.

Quis scit? Sensus meus respondere potest,
sed is cani nunc, quem obiurgavit dominus,
qua re morosus maeret in dura area,
veniente hoste ululat, sed non loquitur,
est similis. Quid illo absente aggrediar?

Hic unum solum certum est – id, quod error est.

Dis gratia sunt iambi, possum apprehendere
aliquid. Sic ingressum discunt liberi.

Nam esse puer certe possem, nisi nimis
morosus et bilinguis essem et pertinax,
fortasse quod sunt adeo omnes callidi et
obdurati homines – id sciri non potest.

Quia alter annictat mihi, “Pulchelle” ait,
“Scelus pigrum” alter “non laboras denuo,
Sed ventri, ei tamen times!” (Ne timeam?)

Hic mi in manum dat nummum, dicit: “Profice,
consentio tibi, et ego satis tuli”,

Ille et quisquilias auferre vult mihi.

Trahit eo hic, rapit eo is, tractat, coaxat, trusitat,
sed nemo animadvertit tuberem meum,
quod porto, ut delirans mater fetum suum,
quocum credit silentium aut purum inane pari.

(Palum habens...)

Palum habens, non florem venisti,
In Elysium causam egisti,
Matri tuae auro promisisti
Plenum saccum et nunc hic sedes,

Sub stipite ut furoris fungus
(Sic curat te, est haec cura cuius),
In Septem Turribus inclusus
Es numquamque inde fugies.

Cur puerili dente edebas
Saxum, cur die somniebas,
Si es relictus, cur properabas?
Quid volebas, dic, denique?

Te semper ipse detexisti,
Vulnus scabendo revellisti,
Famosus es, si hoc voluisti.
Num quid valet? Stultissime.

Amabas? Quis te ad se ligavit?
Latebas? Numquis te fugavit?
Quod fuit, sat est tolerare id;
Nec cultellum, nec panem habes.

In Septem Turribus inclusus
Gaude satis ligni potitus,
Gaude, en datur mollis pulvinus,
Iam placide fac accubes.

(Forsan repente deero)

Forsan repente deero,
Silvā ut vestigia ferarum.
De quo reddenda ratio,
Habeo totum dissipatum.

Pueri gemmam hanc, corpora
Mea siccaram fumo acerbo.
Mi discerpit maestitia
Mentem, esset quo ventum, intellecto.

Dens praecox me cupidinis
Per aliena errans mordebat.
Me amplectitur dolor levis,
Nam post decem annos hoc decebat.

Verba matris non tenui
Malens contumacia niti.
Orbus et privignus ubi
Factus sum, magistrumque risi.

Iuventus dumetum virens
Fuit, quod liberum putabam
Et aeternum. Ausculoque flens
crepitare frondem siccata.

(Paterna terra...)

Paterna terra est, en, reperta,
ubi sine errore notet
nomen meum superne, si a quo
sepeliar, sepeliet.

Accipiet me, ut cista, terra haec.
Nam non valet plus (quam malum!)
ex bello ferreus relictus
viginti nummus obolūm.

Neque anulus incisus verbis
his ferreus: “Ius, res novae,
terra.” Est lex nostra bellicosa,
gemmae praevalent aureae.

Eram longe, longe ipse solus.
Dein pluribus cum viserer,
dictus sum solus esse, quamquam
cum illis essem feliciter.

Sic ego vixi eramque frustra,
me ipsum possum statuere.
Ut insanum lusere me,
morique iam est me inutile.

Dum vivo, usque locum praestare
conabar in turbinibus.
Ridiculum est me non peccasse
plus quam peccaret mi alius.

Pulchrum est ver, aestas; pulchrior sed
autumnus, et pulcherrima
hiems, focum familiamque
si aliis tantum sperat anima.

Epigrammata

Epitaphium agricolae Hispanici

Militiae Francus me dux adscripsit acerbae.
Non fugi, poenas quod capitis metui.
Quod metui, per Irunis agros in iustitiamque
Et fas saevivi. Sic quoque mors me habuit.

Duo hexametri

Cur ego sim – feretro qui denique ponar – honestus?
Cur ego ne fuerim – feretro qui ponar – honestus?

Fragmenta

I

Non temere!
Scis lucrum aliis cadere –
tamen accurate operatus,
ut stellae in caelo comiteatus,
munus fungere!

II

Me stupeo,
quod pereor...

III

Semper fremente gurgite
semper crepitante fronde
semperque maerente homine
semperque pusillum est omne.

IV

In somno me circumdedere,
Multi ludibrio habuere:
“Hahae, hic gaza est, quam scimus ecce
Non esse!”

V

Tres cornices caecae arborem ambiunt...

Indices

I

Quae continentur per titulos Latinos

Corde mundo	2
Attila József	3
Tange frontem	4
Me Áron József genuit	5
Catella	6
Magi in Bethlehem	7
Cohortatio	9
Dolor	10
Saltus ursi	11
Puellulus flet	13
Sine spe	15
Carmen	16
Nenia sera	21
Vae, paene...	23
Ostende has res	24
Ad Kosztolányium	25
Patior	26
Solitudo	30
Clamitatio	31
Reddita ratio	32
In natalem meum	33
(Iamdudum...)	35
E fluctu surge	36
(Ille modo...)	37
Longescunt umbrae	38
Huic qui te amat...	39
Veniam haud obtinere	40

(Quadrupes repsi...)	42
Auctor atque aetas sua	43
Crepusculum	45
(Palum habens...)	46
(Forsan repente deero)	47
(Paterna terra...)	48
Epigrammata	50
Epitaphium agricolae Hispanici	
Duo hexametri	
Fragmenta	51

II

Ex ordine titulorum Hungaricorum

Álmomban engem...	51
Az árnyékok kinyúlanak...	38
Bánat (Futtam, mint a...)	10
Betlehemi királyok	7
Biztató	9
Bukj fel az árból	36
Csak az olvassa	37
Egy kisgyerek sír	13
Egy spanyol földműves sírfelirata	50
Én ámulok...	51
Ha nem leszel most...	39
Három vak varjú...	51
Íme, hát megleltem...	48
Jaj, csaknem...	23
József Attila (Vidám és jó volt...)	3
Karóval jöttél...	46
Kései sirató	21
Kész a leltár	32

Két hexameter	50
Kiáltozás	31
Klárisok	6
Kosztolányihoz	25
Költőnk és kora	43
Magány	30
Már régesrég...	35
Medvetánc	11
Nagyon fáj	26
Ne légy szeles...	51
Négykézláb másztam...	42
Nemzett József Áron	5
Óda	16
Örökkön...	51
Reménytelenül	15
Születésnapomra	33
Szürkület	45
Talán eltűnök hirtelen...	47
Tedd a kezed	4
Tiszta szívvel	2
Tudod, hogy nincs bocsánat	40
Világosítsd fel	24